Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1249
Quelle:
Copyright:

cariſtæ *in lubrico carnis foetidiſſime permanentes.*

Codicem ambiunt Membranae 2. ejusd. Sec. fragmentum *Inſtitutionum Iuſtiniani* Imp. exhibentes.

CCCXX.

289 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 107. f. per duas columnas deſcriptus exhibet *Compendium Theoloice veritatis fratris Hugonis de Burgundia Magiſtri in Theologia fratrum ordinis predicatorum habens VII. libros.* Falſus eſt Librarius in adſignanda Autoris patria; non enim is *Hugo Burgundus*, ſeu *a S. Caro* eſt, ſed *Hugo Argentinenſis*, ut oſtenditur in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 470. et nos ad *Codd.* ſeq. et DCCXXXI. notavimus. Interim tamen *Codex* praeſens teſtimonium fert contra eos, qui opus iſtud *Thomae Aquinati* tribuunt; legitur enim in anteriore theca: *Compendium Hugonis gloſatoris et non eſt ſancti Thome Sed compendium ſancti Thome.* Cetera vide, ſi placet, *Codd. ſupracitt.* Praeſentem poſſedere *Jacobus Sophianus*, ut in fronte, et *Martinus de Trziebon* (Trebona, Wittingau) ut in theca poſtica adſcriptum eſt.

CCCXXI.

240 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 392. f. per duas columnas exaratus hac miniata inſcriptione gaudet: *Hie hebet ſich an daz puch daz da haiſſet compendium theloyce veritatis vnd iſt der peſten pücher aines in der heiligen geſchrift vnd iſt getailt in ſiben puecher vnd iſt pracht aus latein zu tewtſch. Hie hebet ſich an die tauel vber daz erſte puch.* Poſt *Summaria*, quae et ſingulis reliquis VI. Libris praefixa ſunt, habetur *Praefatio* inſcripta: *Das iſt die vorrede des compendiums des erſten Capitels.* Initium: *Die Warhait der götleichen ſubtilichait Seit daz ſi iſt ein ſcheyn oder ein glanz des öbriſten ſcheines* &c. Operis ipſius: *Daz got iſt daz wirt beweiſet in maniger weiſe.* &c. Itaque L. I. agit de Divinitate. II. de Creatione. III. de Peccato. IV. de Redemtore. V. de Virtutibus et Legibus. VI. de Sacramentis. VII. de Extremis Hominis. Extrema ſunt: *Die ein jeglicher ſeliger enphahet nach ſeiner verdinunge an alles ende. Amen.* Subſcriptio rubro viridis: *Ende des puches des compendium Theoloice ueritatis aus geſchriben an ſant Jacobs abent. Nach Chriſt geptirt XIIII hundert iar vnd darnach im XIIII. iar. Johannes Brainner de päl.* Opus iſtud, quod *Cod.* praeced. lingua latina, qua primitus exaratum eſt, occurrit, quo olim in pretio fuerit, inde conjicies, quod a variis jam *Alberto M.* jam *Bonaventurae*, jam ipſi *Thomae Aquinati* tributum fuerit, et reipſa inter Opera primi T. XIII. editionis *Petri Jammy Lugd.* 1651. f. et ſecundi T. VIII. pariter *Lugd.* 1668. f. extet, ut alias editiones anteriores taceam.